



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1663**

S. Menradus Mart. 21. Ian.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41940**

21. Ian. VITÆ SANCTORUM. 53  
ternitatem defigerent, non cruciatus bre-  
ves. Jam vincula flammis soluta manus  
solverant, cum FRUCTUOSUS, expli-  
catis in crucem brachiis, cælum specta-  
re, cælum precibus pulsare. Et ecce pan-  
ditur hoc, & Martyres (spectantibus  
triumphum impiis) inter flammarum  
globos, ad cælum evolarunt, coronis  
omnes insignes, indeque rident admotas  
necquicquam à iudice machinas. Tam  
illustrem itaque rogum non aquâ sed  
mero diluendum duxerunt Christiani;  
sed distinguere laborantibus sacra ossa, è  
cælo FRUNCTUOSUS adfuit, vetuit-  
que terris disjungi, quos cælum junxif-  
set. Ex Surio.

*Laborare non vis, qui utrùm vivas usque  
ad senectam nescis: quare differs vocantem  
te, virtus de mercede, incertus de die? vi-  
dene fortè quod illi tibi daturus est promit-  
tendo, tu tibi auferas differendo.* Aug.  
ferm. 56. de verb. Dom.

S. MENRADUS MART. 21. Ian.

**F**uit MENRADUS Suevici sanguinis  
Comes. Tirocinium melioris militiae  
in Ascet erio (Augiam Divitem dixere)  
posuit. Mox ex tirone miles, ex milite  
Dux castra in Eremum movit, semper  
inclutus victoriis ab orco reportatis: qui  
tam densâ quandoque acie casam oppug-  
navit militis nostri, ut suam diei cum  
D 3 sole



sole lucem eriperet: sed solvit oppugnationem unicus bonus genius Custos MENRADO datus, cum aliàs sapientum precanti imprimis visendus adfuit. Ita vitam solam agenti in annum XXVI. latrones gemini supervenerunt, quos ipse, quamvis cogitati facinoris minime ignarus, benignè & accepit & habuit. At illi secundum sacrificium & preces, hospitem suum necant ingratiissimi, & ponè caput cereum, uti vivus petierat, statuunt. Is suapte vi accensus, & jam decrescens, cum stipulas lectuli comprehendisset, veritus sacrum caput attingere, sponte iterum extinctus memoratur. Corvi iterum & ipsi gemini, ac diu è manu Divi diarium accipere soliti, pulchrè se & Patronum suum vindicarunt. Alas quippe & ungues intendendo in oculos, & voce, quâ poterant, patricidas clamitando, tandiu prædones sunt insecuti, quoad in vincula tandem conjecti sunt, post paulum iterum pœnas corvis daturi. *Ex Surio.*

*Si quando animus tuus acceptæ injuriæ dolore exarserit, fac tibi Christus Christi-que vulnera in mentem veniant, quantula-que pars hæc sit eorum, quæ Dominus tuus perpeffus est; hac ratione animi dolorem velut aspersâ aquâ extinxeris. Greg. Naz. in sen.*